



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

65. De qo qui bannum non adimplet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-19366

alapas donet, & torqueat auriculas, ut ei in postmodum testimonium præbeant. Si autem testes non potuerit congregare ut ei testimonium præbeant, tunc rem suam cum sex sive cum septem cum sacramenti interpositione sibi studeat evindicare.

II. Si quis consortem suum quantumcumque superpriserit, cum quindecim solidis restituat.

III. Si autem infra testamentum Regis aliquid invaserit, aut cum sex juret quod infra terminationem testamenti nihil invasisset, aut cum sexaginta solidis omnem redditionem restituat.

IV. Si autem ibidem infra terminationem aliqua indicia sua arte, vel butina, aut mutuli factæ exsisterint, ad sacramentum non admittatur, sed in præsentem cum legis beneficio cogatur restituere.

V. Quod si extra marcham in sortem alterius fuerit ingressus, iudicium comprehensum compellatur adimplere.

VI. Quod si testamentum Regis absque contrario testamento falsum clamaverit, non aliunde nisi de vita componat.

VII. Quod si duo testamenta Regum de una re extiterint, semper prior duplicem sortiatur portionem.

VIII. Quod si quis de Ecclesia aliquid vi abstulerit, cum supra scripta lege in triplum restituat.

LXI. *De libertis secundam legem Romanam.*

I. Si quis servum suum libertum fecerit & civem Romanum, portasque apertas conscripserit, si sine liberis discesserit, non alium nisi fiscum nostrum habeat heredem.

II. Quod si aliquid criminis admiserit, secundum legem Romanam iudicetur. Et qui eum interfecerit, centum solidis multetur.

III. Quod si dominus ejus eum ante Regem denariatum facere voluerit, licentiam habeat.

LXII. *De homine qui servum tributarium facit.*

I. Si quis servum suum tributarium aut litum fecerit, si quis eum interfecerit, triginta sex solidis culpabilis iudicetur.

II. Quod si denariam eum facere voluerit, licentiam habeat. Et tunc ducentos solidos valeat.

LXIII. *De homine in hoste occiso.*

I. Si quis hominem in hoste interfecerit, triplici vveregildo culpabilis iudicetur.

II. De furto similiter.

LXIV. *De homine in domo propria occiso.*

Si quis hominem in domo propria cum hariraida interfecerit, auctor facti triplici vveregildo multetur, & tres priores nonaginta solidis culpabiles iudicentur. Et quanti ei sanguinem fuderint, unusquisque vveregildo eum componat. Et quantumcumque post auctorem sanguinis effusores vel post tres priores fuerint, unusquisque quindecim solidis multetur: & quicquid ibi talaverint, restituat.

LXV. *De eo qui bannam non adimplet.*

I. Si quis legibus in utilitatem Regis, sive in hoste, seu in reliquam utilitatem bannitus fuerit, & minime adimpleverit, si aegritudo eum non detenerit, sexaginta solidis multetur.

II. Si autem Romanus aut ecclesiasticus vel regius homo hoc fecerit, unusquisque contra auctorem suum triginta solidis culpabilis iudicetur.

III. Si quis autem legatarium Regis vel ad Regem seu in utilitatem Regis pergentem hospitio suscipere contempserit, nisi emunitas Regis hoc contradixerit, sexaginta solidis culpabilis iudicetur. Aut si regius, Romanus, aut ecclesiasticus homo hoc fecerit, unusquisque contra auctorem suum triginta solidis multetur.

LXVI. *De sacramento.*

I. Si quis Ripuarius sacramento fidem fecerit, super quatuordecim noctes sibi septimus seu duodecimus vel septuagesimus secundus cum legitimo termino noctium studeat conjurare. Si autem contentio orta fuerit quod sacramentum in die placito non conjurasset, tunc cum tertia parte juratorum suorum adfirmare studeat, aliquibus à dextris seu à sinistris stantibus. Sin autem nec sic fatifecerit, tunc secundum præsentiam iudicis vel secundum terminationem sextam juratorum suorum cum dextera armata tam prius quam posterius sacramentum in præsentia iudicis confirmare studeat. Quod si verbis non dixerit, omnem repetitionem cum legis beneficio studeat reformare, & unusquisque de juratoribus quindecim solidis culpabilis iudicetur. Si autem contradixerint, iudicium accipiant.

II. Si autem regius, Romanus, aut ecclesiasticus taliter egerit, cum legitimo numero similiter studeat implere, aut legitimam solutionem restituat.

LXVII. *De eo qui filium non relinquit.*

I. Si quis moriens debitosus, aut testamenta venditionis seu traditionis aliqua

LXXI-
RVARIO-
RVM.